

## Lex Iulia municipalis.

**6085** . . . | (1) Quem h. l.<sup>1</sup> ad cos. profiteri oportebit<sup>2</sup>, sei is, quom eum profiteri oportebit, Romae non erit, tum quei eius | (2) negotia curabit, is eadem<sup>3</sup> omnia, quae eum, quouis negotia curabit, sei Romae esset h. l. profiteri | (3) oportebit<sup>4</sup>, item isdemque diebus ad cos. profitemino. |

(4) Quem h. l. ad cos. profiteri oportebit, sei is PVP.<sup>5</sup> seive ea VQ.<sup>6</sup> erit, tum quei eius PVP. VQ.ve<sup>7</sup> tutor erit, item eadem|-(5)que omnia in iisdem<sup>7a</sup> diebus ad cos. profitemino, ita utei ei<sup>8</sup> quae quibusque di[e]bus eum eamve, sei PVP. VQ.ve non | (6) est<sup>9</sup>, h. l. profiteri oporteret. |

(7) Sei cos., atque<sup>10</sup> h. l. professiones fieri oportebit, Romae non erit, tum is, quem profiteri oportebit, quod eum profiteri | (8) oportebit, ad pr. urb.<sup>11</sup> aut, sei is Romae non erit, ad eum pr., quei inter peregrinos ius deicet, profitem[i]no, ita utei | (9) eum ad cos., sei tum Romae esset, h. l. profiteri oporteret. |

(10) Sei ex eis cos. et pr.<sup>12</sup>, ad quos h. l. professiones fieri oportebit, nemo eorum Romae erit, tum is, quem profiteri oportebit, | (11) et<sup>13</sup> quod eum eum<sup>14</sup> profiteri oportebit, ad tr. pl.<sup>15</sup> profitemino, ita ute[i] eum ad cos. pr.<sup>16</sup> urb. eumque quei inter peregrin|-(12)nos ius deicet, sei tum Romae esset, h. l. profiteri oporteret. |

(13) Quod quemquem<sup>16a</sup> h. l. profiteri oportebit, is, apud quem ea professio fiet, eius que<sup>16b</sup> profitebitur nomen, et ea quae pro|(14)fessus erit, et quo die professus sit, in tabulas publicas referenda curato, eademque omnia, quae uteique in tabulas | (15) rettulerit, [i]ta in tabulam in album referenda<sup>17</sup>, idque aput [f]orum, et quom frumentum populo dabitur, ibei ubei frumen|(16)tum populo dabitur, cottidie maiorem partem dici propositum habeto, u. d. p. r. l. p.<sup>18</sup> |

---

1) *Hac lege.* — 2) *Professiones has pertinere ad recensum plebis urbanae factum a Caesare frumentationum causa, quem memorat Suet. Caes. 41, statuit Savigny verm. Schr. 5 p. 576. Sed cf. Hirschfeld Philol. 29, 1870 p. 90 seq.; Nissen mus. Rh. 45, 1890 p. 405.* — 3) *Scr. eadem (EAFDEM aes.).* — 4) *Scr. oporteret.* — 5) *Pupillus.* — 6) *Pupilla.* — 7) *Pupilli pupillaeve.* — 7a) *Errorem subesse suspicatur Momms.* — 8) *Scr. et.* — 9) *Scr. esset.* — 10) *Scr. ad quem.* — 11) *Praetorem urbanum.* — 12) *Praetoribus.* — 13) *Dele et,* 14) *item alterum eum.* — 15) *Tribunum plebei.* — 16) *Inserere que.* — 16a) *Quemque.* — 16b) *Scr. quei.* — 17) *Inserere curato.* — 18) *Unde de plano recte legi possit.*